Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25997
Copyright: Admont, Benediktinerstift



scendens ad nos incipit a sapientia finit ad timorem. Nos autem ascen
dentes incipimus a timore perficimur in sapientia. Initium enim sapien
tie timor domini. Si ergo spiritu opus est ut lex possit impleri, accedant
vii. ad x. fit numerus decem et vii. Si computes ab uno usque ad x. et vii.
fiunt c. l. et tres. Non opus est omnia annumerare apud uos numera
te, sic computate unum et duo et tria et iiii. et x. Quomodo x. sunt unum duo et
tria et iiii. sic adde ceteros numeros usque ad x. et vii. et inuenis numerum
sacrum fidelium atque sanctorum in celestibus cum domino futurorum. Ps. die. Sermo
beati Augustini episcopi.

Agnus ille legalis cuius immolatione
antiquus hebreorum populus egyptie seruitutis iugum abiecit. quoniam
multimodis sacramentis ueriorem sancte ecclesie hostiam in figura sui continebat.
tunc potissimum ipsa rerum ueritate probatum est quando pascha nostrum immo
latus est christus. quia sicut ouis ad occisionem ductus est et sicut agnus coram tondente se
sine uoce sic non aperuit os suum. Iste est agnus qui in altari crucis hostia uiua
deo patri pro nobis in odorem suauitatis oblatus. transitum nobis de regione um
bre mortis ad terram promissionis patefecit. Iste est inquam qui simul uictima et
sacerdos omnem ueteris sacerdotii et sacrificii umbram clara luce reuelando
figuris et enigmatibus finem imposuit. nouo autem ecclesie populo nouum sacer
dotium et nouum sacrificium iniciauit. ut uidelicet nouum uinum in utres nouos
mitteret. Quod si granum frumenti cadens in terram et mortuum tam mirabiliter
omnia innouauit. multo magis in se ipso rediuiuum cum fructu multiplicato
resurgens cuncta fecundauit. et non solum spiritalibus rationabilis terre incrementis
sed et ipsis quoque terrenis seminibus hoc tempore ampliorem proventum dedit. Unde
modo in germina erumpentis terre tota hilarior facies uario suorum fructuum
ornatu omnem hactenus quasi mortuam rerum naturam resurgenti suo domino
cum resuscitat. ubi arborum et herbarum grata uenustas diuerso quidem germinum
munere pari tamen gestu letitie singulari huic sollempnitati festiua
occurrit. De celi autem nunc usque quodammodo tristi tandem uero leta facie quid dicam
quam aliquandiu iam densa caligine nubium ad operta aeris huius spacium omne